

aliquo morsu contingi, contrahens nervos et rictibus ora distortuens, facit eum ridendo flebiliter interire. Sed meretur huic terre tantorum veniam malorum, quod plerisque producit in locis aquas calidas et valentes contra solifugas et ossium fracturas oculisque salubres, nisi quod sunt eorundem cecitate periuria detegentes. In hac insula sceleratorum regum, Gesserici filius, Hunerici germanus, impius Trasamundus, qui quondam sub Honorio et Theodosio minore magnis principibus tam armis quam Arriane perfidie funibus ab imperii finibus Affricam abruperunt, postquam catholicas clausit ecclesias, centum et viginti cristiane legis episcopos exilio relegavit. Hiis primus Innocentius papa sanctissimus pie compassionis auxilia ministravit, quos predicti filius Trasamundi, ex filia tercii Valentiniani cesaris, Hildericus a perfido patre, sacramento ne relaxaret eos astrictus, contempto sacrilego sacramento, priusquam regnum susciperet, ad sedes proprias honorifice revocavit. Invenimus et venimus inde Siciliam, quam a continenti Calábrico propter difficultatem angusti transitus, cohercentibus utrinque scopulis, torrentis et procellosi pelagi separat impetus violentus. Precipitii quanto strictioris, tanto districtioris maris istius periculosa Caribdis abyssus auget horrores, cuius vertiginosa vorago tam fluctus quam naves, seu quicquid arripit, absorbet et revomit incessanter. Ibi quoque Scilla rapax esse protervis idcirco canibus succincta fingitur, eo quod ex crebra collisione maris ad rupes quasi quidam latratus terribiles audiuntur. Sicilia vero promontoriis nubila penetrare non timet immensis. Inter hec ignivomis super eminent Hetna verticibus, in quibus infatigabili litigio quodam et invincibili protervia repugnant inter se contrarie qualitates. Nam cum Hetna violentos incessabiliter evaporet ardores, tamen eius cana nivibus¹ est superficies, et amictu brumali palliat humeros estuantes. Nec minus fame meretur et ammirationis iocunda cuiusdam ibi situs amenitas, ubi veris eterni graciosa temperies omnifaria colorum specie picturatum et dulce spirantem sibi thalamum dedicavit, in quo simplicitas filie Cereris² florens inter flores cum floribus florem virginitatis amisit. Hic Helbesus fluvijs quibusdam in locis fervore subito medijs ebullit in undis, et quamvis ab Hetna trahat originem, aquilonaribus fluvijs frigiditate contendit. Hec quondam terra regni sedem et caput habuit urbium Siracusam, urbem antiquam, bonis refertam, situ munitam, cum ad instar insule mari clausa fere sit undique circuituque murorum. Hanc olim urbem Carthaginenses cum gravi nimis obsidione cinxissent, in tantum sunt et tanto pestilencie langore consumpti, quod eorum rex vix cum paucis in fugam conversus patriamque

1) 'nubibus' fol. 143.

2) 'Veneris' fol. 143.